

gustia temporis colligere permisit Musam tuam secum adportabit, utinam fausto magis quam antea successu!

Dabam Hafniæ

d. 22 April: 1752

Viro Illustri & Celeberrimo D: D: Carolo Linnæo Archiatro Regio Svec: Professori Medicinæ P: O: in Academia Upsaliensi hæ amice pateant.

(5) Viro Magnifico, Illustri, Excellentissimo
Fautori et Amico æstumatissimo

S: pl: d:

Balthasar Joh: de Buchwald

Maximas quas possum gratias ago et plures habeo ac debeo pro humanitate tua et benevolentia eximia, qua dignatus es strenuum maxime Apollineæ Artis Cultorem Georgium Tychonem Holm privatos inter tuos excipere Discipulos, tanto hoc Tuo beneficio me Tibi usque adeo devinxisti, ut qua ratione obstrictum meum et gratissimum erga te animum demonstrem dubius et anceps omnino hæream, et hinc faventia exoptem fata. Hoc momento accipio epistolam ab inclyto Medico Sam: Benj: Cnoll commorante in Castello apud Indos Orientales Tranquebar dicto, communicante descriptionem Boracis, quam accuratius perlegere tempus nondum permisit, et cujus copiam tibi, si desideraveris, alia vice transmittam. Subsisto hic cum omnigenæ felicitatis voto; summum Numen servet Te diu superstitem in Tui Tuorumque commodum, Patriæ Decus, Scientiæ naturalis pariter ac salutaris artis incrementum.

[Uden Datum.]

Viro Excellentissimo Illustri D^{no} Carolo Linnæo Magnifico Universitatis Upsaliensis Rectori, Archiatro Regio et Professori Medic: Publ: